





211.  
1764, 12.  
No. #28

DISSERTATIO IVRIS CIVILIS  
DE

MANDATO PRAESVMTO

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENRICO  
BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITER. DVISEVVG. SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE X. APRILIS ANNO CIOIOCCCLXIII.

DEFENDET

AVCTOR ET RESPONDENS

CHRISTOPHORVS ANTON HOFFMANN

L I P S.

---

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

258

DISSERTATIO IURIS CIVILIS  
DE  
MANDATO PRAESUMPTO

QVAM  
HABENS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
P R A E S I D E  
D. CHRISTIANO HENRICO  
B R E V I N G

PROFESSOR PVBLC ORDM IUR NAT ET CENZ  
AT VICECANZLERI VNIERSITATIS IENENSIS

IN AVDITORIO PETERINO

DIE X APRILIS ANNO MDCCCXXXIII

AVCTOR RESPONDENS

CHRISTOPHORS ANTON HOFFMANN

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEIMII



V I R O  
PERILLVSTRI, CONSVLTISSIMO,  
EXCELLENTISSIMO  
ANDREAE WAGNERO

IC<sup>TO</sup>  
DOMINO HEREDITARIO IN ZWEYNAVNDORF,  
SERENISSIMO ELECTORI SAXONIAE  
A CONSILIIIS CAMERAE INTIMIS

PATRONO MEO  
GRATIOSISSIMO.



V I R  
PERILLVSTRI, CONSULTISSIMO,  
EXCELLENTISSIMO  
ANDREAE WAGNERO

ICto  
DOMINO HEREDITARIO IN ZWETNAVDORF,  
STRENISSIMO ELECTORI SAXONIAE  
A CONSILII CAMERAE INTIMIS

P A T R O N O M E O  
G R A T I O S I S S I M O .



VIR PERILLVSTRIS,  
CONSULTISSIME, EXCELLENTISSIME,  
PATRONE GRATIOSISSIME!

**N**on ignorabam, VIR PERILLVSTRIS,  
me temeritatis argui posse, quod TIBI  
TVO que Nomini, hanc qualemunque exer-  
citationem academicam sacram esse cuperem; sed cum co-  
gitarem, nemini me plura debere, quam TIBI, pieta-  
tis ac religionis studio motus, TIBI hoc Specimen prae omni-  
bus aliis offerendum putabam. Tanta enim beneficiorum  
TVORVM in me collatorum est magnitudo, tanta est  
TVA, qua erga me semper usus es, humanitas atque bene-  
volentia, quantam ne satis quidem, non dicam laudibus ef-  
ferre, verbis enumerare valeo. Hae fuere, quae me moue-  
runt ab initio haesitantem, utrum Nomen TVVM Splendi-  
dissimum huic dissertatiunculae anteponeere deberem, erexerunt  
ac confirmarunt, ut nullus dubitarem, quin, si hanc pietatis  
declarationem intermissetem, iure meritoque summae impie-  
tatis,

tatis, officiorumque negligentiae reus et essem et viderer. V Certissime itaque spero, fore, ut huncce disputationis libellum, animi mei gratissimi, summaeque obseruantiae et pietatis documentum, ea, quae TIBI innata esse videtur humanitate excipias. Considera non rem ipsam; considera potius mentem TIBI solum deditam. Seruet TE, DEVS ter optimus maximus, saluum, tectum, incolumem! Adaugeat quotidie felicitatis ac salutis TVAE incrementa! Viuas in reipublicae salutem! Viuas mihi Patronus perpetuus! Recipias me, meaque, qualia qualia sint, studia in TVAM clientelam, meque TVVM clientem habeas semper dignum, quem ames, quemque TVO Patrocinio prosequaris

PERILLVSTRI NOMINI TVO

Dabam

Lipsiae d. X. Aprilis

CIO IOCCLXIII.

CLIENS DEDITISSIMVS

CHRISTOPHORVS ANTON HOFFMANN.





DE  
MANDATO PRAESUMTO  
DISSERTATIO



§. I.

*Definitio mandati praesumti.*

Non anxius ero in explicanda vocum etymologia, neque longa oratione cum ISIDORO <sup>a)</sup> et qui eum sequuntur exponam mandatum a *manus datione* nomen accepisse dataque in amicitiae pignus dextra mandatum fuisse. *Mandatum* vero esse contractum consensualem, bonae fidei, quo alteri negotium honestum gratis gerendum committitur et ab altero suscipitur, constat inter omnes. Qui quidem contractus, si conficitur mutuo consensu, perinde vero est siue quis eum praesens, siue per nuncium, siue per epistolam, et quibuscunque tandem verbis declarat teste PAVLO <sup>b)</sup> imo facto et taciturnitate, dicitur mandatum verum, si vero consensus iste reuera non intercessit lex vero in aliorum utilitatem quosdam tanquam si intercessisset admitti iubeat, mandatum praesumtum dictum est artis termino.

A 2

§. II.

a) ISIDOR. *Orig. Lib. IV. Cap. 24.*

b) PAVLVS *L. 1. §. 2. π. mandat. vel contra.*

## §. II.

*Quae personae mandato praesumpto gaudent.*

Dicunt plerique interpretes, in praesumpto mandato consensus alterius praesumi. Non satis accurate. Quis enim esset consensus ille praesumptus, nisi leges ipsae iuberent, ut quaedam personae in aliorum causis agendis atque negotiis gerendis, non aliter admitterentur, ac si ipsi mandato instructi essent. Hinc personae, in quas consensus intercessisse a lege quasi fingitur, adeoque mandatum, ut aiunt, praesumitur, recensent praeter VLPPIANVM <sup>e)</sup> Imperatores CONSTANTINVS <sup>d)</sup> et VALENTINIANVS atque VALENS <sup>e)</sup> suntque *liberi, parentes, fratres, affines, maritus, liberti, et consortes litis*, quibus ex iure patrio accesserunt, *qui instrumenta ad causam pertinentia apud se habent* <sup>f)</sup>. De quibus singulis iam videamus.

## §. III.

*De praesumpto mandato adscendentium.*

Primum itaque iubet lex parentes admittere in causis liberorum. Quis vero est qui ignoret, trecenties in iure romano atque adeo VLPPIANO <sup>g)</sup> nostro *parentum nomine adscendentes* in infinitum <sup>h)</sup>, *liberorum* vero nomine omnes omnino *descendentes* <sup>i)</sup> venire. Multum autem interest ratione patris, num vi praesumpti mandati, an vi patriae potestatis agat. Patri enim si patria potestate adhuc gaudet, et liberi ex illa nondum exiere, mandato praesumpto opus non est, qui potius actus speciale mandatum exigentes peragere potest, quippe pater atque liberi tunc pro vna persona habentur. Ab hac nostra quidem sententia discedere

e) VLPPIANVS L. 35.  $\pi$ . de Procurat. et L. 3. §. 3.  $\pi$ . Indicat. solui.

d) Imp. CONSTANTINVS L. 21. Cod. de Procur.

e) Imp. VALENTINIANVS et VALENS L. 2. C. de consort. eiusd. lit.

f) ORD. CAM. P. I. Tit. 27. §. zweiter segen.

g) VLPPIANVS iam cit. leg. 35.  $\pi$ . de Procur.

h) adde L. 51.  $\pi$ . de Verb. Sign.

i) adde L. 220.  $\pi$ . de V. S.

scedere videtur Imperator IVSTINIANVS <sup>k)</sup> qui *consensum filiorum, nisi adhuc in prima aetate sint constituti, vel longe absint*, expressis verbis requirit. Non vero mirandum est, IVSTINIANVM ita constituisse, cum ibi de bonis aduentitiis, quorum vsum fructum quidem pater, proprietatem vero filius haberet, loquatur. Quodsi vero liberi a patria potestate sint liberati, vel causa aduentitium irregulare, vel militare peculium, siue verum illud siue quasi castrense concernat, pro iis pater valide agere non posset, nisi leges admittendum iuberent, adeoque quasi mandatum praesumeretur. Accedit quod hoc casu, ut leges in omni, quod vocant praesumpto mandato sanciant, neque sine cautione rati comparere, neque negotia, quae *speciale mandatum* requirunt, perficere possit. Eandem quoque sententiam in foro nostro Saxonico obtinere affirmat RIVINVS <sup>l)</sup> et cum dubitaretur, an pater vi praesumpti mandati, an defensorio nomine pro filio agere vellet, ita responsum fuisse testatur. Daß Kläger vor allen Dingen, ob sein Principal in väterlicher Gewalt seines Sohnes, oder defensorio nomine desselben seine Klage fortzusetzen gesonnen, und auf den letzten Fall cautionem rati würcklich anzugesellen.

## §. IIII.

*De mandato praesumpto descendentium, et an feminae admitti possint.*

Ex eodem VLPiani fragmento sequitur, et descendentes omnes vi praesumpti mandati comparere posse, ut ergo filius et nepos, modo apti sint negotio, iustamque habeant aetatem pro patre aut auo comparere possint. Caue tamen feminas, tam nomine ascendentium quam descendentium, ut alias in iure solet fieri, comprehendi posse credas. Cum enim alium defendere officium sit virile, non passa est romanorum zelotypia, feminas pro aliis agere, imo potius ab officio procuratoris recte eas arceat. Hanc ob causam constituerunt Imperatores DIOCLETIANVS

A 3

NVS

k) Imp. IVSTINIANVS L. 8. §. 3. C. de bon. quae liber.

l) RIVINVS ad O. P. S. Tit. VIII. Enum. 8.

NVS et MAXIMINIANVS<sup>m)</sup> ne mater pro filio defensionem, tanquam officium virile susciperet, et VLPIANVS<sup>n)</sup> feminas ab omnibus officiis publicis vel civilibus remotas esse, et ideo nec iudices esse, nec magistratum gerere, nec postulare, nec pro alio interuenire, nec procuratores existere posse affirmat. Accedit quod feminae de rato cauere non possint, cum sit species fidei iussionis, quae tamen feminis interdicta<sup>o)</sup>. Haec ius romanum statuit, haec quoque vñs fori seruat, praecipue cum de Iure Saxonico communi<sup>p)</sup> et Electorali<sup>q)</sup> femina absque curatore vel marito, siue suam, siue rem alienam persequi velit, personam standi in iudicio non habeat. At sunt themata nostrae regulae contraria, quae exceptionem pariunt, regulam vero non subuertunt. Sic PAVLVVS<sup>r)</sup> causa tamen cognita, feminas pro parentibus interdum agere posse testatur, si forte parentes morbus aut aetas impediatur, nec quenquam qui agat habeant. Sic Imperator ALEXANDER<sup>s)</sup> uxori permittit, vt mortem consobrini vindicatura adeat Praesidem, et Imp. GORDIANVS<sup>t)</sup> mulierem ad accusationem persequendi mortis filii causa admittit, hac tamen cum cautione, vt matrem se probet. Sic et noster VLPIANVS<sup>v)</sup> vno eodemque loco dicit, matrem filium defendere non posse, et nihilominus eam, si rem filii sententia euersam animaduertat, audiri debere iubet: Siquidem in causa appellationis semper maius est periculum, et cauendum, ne sententia in rem iudicatam abeat.

§. V.

- m) Imp. DIOCLETIANVS et MAXIMINIANVS L. 28. C. de Procur.  
 n) VLPIANVS L. 2. π. de R. I.  
 o) PAVLVVS L. 1. π. ad Sc. Vellei.  
 p) Landrecht lib. 1. art. 46. pr. Jungfrauen und Fräwen müssen Vormünder halten in allen ihren Klagen et lib. 2. art. 6. Es mag kein Weib Vorprech sein noch ohne Vormünder klagen.  
 q) ORD. PROC. SAX. VET. et REC. Tit. VIII.  
 r) PAVLVVS L. 41. π. de Procur.  
 s) Imp. ALEXANDER L. 4. C. de his qui accusare non possunt.  
 t) Imp. GORDIANVS L. 9. C. eiusd. Tit.  
 v) VLPIANVS L. 1. π. de appell. recip.

## §. V.

*De praesumpto collateralium mandato.*

Ascendentes atque descendentes iam excipiunt collaterales. Nemo vero facile dubitabit, et hos ob sanguinis coniunctionem vi praesumpti mandati agere posse, cum VLP IANVS eos expressis verbis in eorum numerum refert, qui mandato praesumpto gaudent. Qui vero isti sint collaterales, et ad quorum usque gradum admittantur, magna et vehemens inter Dd. controuersia oborta est. Quidam solos fratres, siue quod idem est agnatos in secundo gradu secundum computationem iuris ciuilibi constitutos admittunt, alii usque ad gradum tertium, alii usque ad quartum, et alii denique usque ad decimum gradum hanc extendunt facultatem <sup>w)</sup> vt nimirum quibus eorum in legendis et explicandis legibus aliquid noui sibi inuenisse videtur. Nos vero non dubitamus priorum sententiae subscribere. Cum enim VLP IANVS, vbi *quasi procuratores* recenset, non nisi *fratrum* mentionem faciat, neque vllibi in iure romano aliud quicquam constitutum sit ab hac sententia discedendum esse non putamus. Quis enim interpretatione extensiuam utatur in iure singulari, quale mandati praesumpti admissio. De fororibus iam nihil addo, satis §. superiori dictum. In foro vero, imprimis nostro saxonico opinio CARPZOVII <sup>x)</sup> qui *extensionem usque ad gradum tertium* fieri debere statuit, at sine lege, praeualuit, sed res dein a Serenissimo ELECTORE <sup>y)</sup> in eius opinionem decisa est, et hoc iure agnati, usque ad gradum tertium vi praesumpti mandati valide agere possunt. Neque vero hoc iure uxores reliquasque *personas sexus feminei*, licet sint intra gradum tertium, admitti testatur RIVINVS <sup>z)</sup>, qui <sup>a)</sup> tanquam singulare refert, forem quandam in

<sup>w)</sup> vid. BERLICH. P. I. *conclus.* 14. n. 38.

<sup>x)</sup> CARPZOVIVS P. I. *Const.* 2. *Def.* 29.

<sup>y)</sup> CRD. PROC. SAX. *Tir.* VII. §. 2.

<sup>z)</sup> RIVINVS ad *Ord. Proc. Sax. Tir.* VII. *Enunc.* 7.

<sup>a)</sup> IDEM. in *specim. except. forens.* c. XXIX.

concurfu Z. K. per maritum, pro fratre reipublicae causa abfente, coram praetorio Lipsienfi fufinuiffe arreflum, cumque pars adverfa in exceptione, quam apud eundem inuenies, copiofius atque prolixius oftendere conaretur, forem ex mandato praefumto neque valide agere, neque arreflum impetrare poffe, idque cognitioni iudicis relinqueret, publicabatur fententia inter alia huius tenoris: I. C. K. Inhalts des am 9. Septembris gedachten Jahres, um 3. Viertel auf 12. Uhr, erhaltenen Arrests, welcher gestalten Sachen nach, vor beständig billig zu halten. Sententiae ratio decidendi fola fuiffe abfentia reipublicae causa videtur, vt ex ipfo refponfo Scabinorum fatis apparet.

## §. VI

*De Affinium mandato praesumto.*

Quamvis autem ipsae feminae nec expresse nec praesumto mandato in iudicio comparere possint, masculi tamen per feminas coniuncti a praesumto mandato non excluduntur. Res indubitati iuris est, affines pro affinibus admitti; at non minor est disceptatio ac de agnatis fuerat, qui sint illi affines, quos lex admitti iubeat. Lex sane expresse nihil definiuit, VLPPIANVS enim affinium tantum mentionem facit. Sane non omnes Pragmaticorum referam opiniones, nullo interdum, vel non idoneo fundamento innixas. Si ex legis argumento decisio petenda, praeter *socrum* et *generum*, atque eos qui in secundo affinitatis genere constituti sunt, vix quemquam admittendum arbitraret. Nunquam enim *affinitati* maiores tribuendi effectus, quam *cognationi*. Accedit et alia quaestio, quae non minus multis Dd. controuersis ansam praebuit. An soluto affinitatis vinculo adhuc vis praesumti mandati admittenda. Affirmant *alii*<sup>b)</sup> *alii*<sup>c)</sup> negant, *alii*<sup>d)</sup> distinguunt, potior apud me est autoritas VLPPIANI

b) CARPZOV. *Proc. Tit. V. Art. 6.*c) STRYCK. *Vsu modern. z. Lib. III. Tit. 3.*d) ZIEGLER. *ad Ord. Proc. Tit. VII.*

NI<sup>e</sup>) post mortem coniugis effectus ciuiles affinitati negantis. In Saxonia res dubio caret, quippe hoc iure<sup>f</sup>) sancitum expresse, vt *facer pro genero*, et *gēner pro socio*, nec non *vitricus pro priuigno*, et *priuignus pro vitrico*, durante tamen affinitatis vinculo, vi mandati praesumpti valide agere possint.

## §. VII.

*Maritus vi praesumpti mandati agens causus uxoris.*

Maritum quoque ratione coniugis ob vinculum coniugale inter eos refert VLP IANVS, qui mandatum praesumptum habent. An vero tunc, si ex eo agat, cautio de rato praestanda, valde controuersum videtur. Praecipue in hac causa rite constituenda separanda erunt bona uxoris *dotalia* a *paraphernalibus* seu *receptitiis*, quae forum et rerum imperita praxis distinguit. Patet ex VLP IANO<sup>g</sup>) et aliunde maritum rei dotalis durante matrimonio dominum esse et Imperatores CARVS, CARINVS et NUMERIANVS<sup>h</sup>) *ancillam, quae in dotem data erat, ab uxore ne quidem vindicari posse* affirmant, hinc dubium non relinquitur, maritum, si de bonis dotalibus agere velit, praesumpto mandato non egere, et proprio nomine absque cautione rati agere posse. Cum vero contingere posset, vt interdum receptitiarum suarum vsum fructum vxor pacto marito concederet Imp. IVSTINIANVS<sup>i</sup>) constituit, in *paraphernalibus* marito licentiam dari, actiones apud competentes iudices mouendi, nullam tamen rati habitationem ab eo exigendam esse. Contra vero si de solis receptitiis ageret uxoris nomine maritus, Imp. CONSTANTINVS<sup>k</sup>) maritum id solum

e) VLP IANVS L. 3. §. 1. *de postulando*.

f) ORD. RECOGN. PROC. SAX. Tit. VII. §. 3.

g) VLP IANVS L. 7. §. 3. *de iure dot.*

h) Imp. CARVS, CARINVS et NUMERIANVS L. 9. *Cod. de rei vind.*

i) Imp. IVSTINIANVS L. 11. *Cod. de pact. conu.*

k) Imp. CONSTANTINVS L. 21. *C. de Proc. et Defens.*

solum exequi debere quod procuratio emissâ praescripserit, contendit, atque approbavit simul maritum mandato praesumpto gaudere. At quid de iure Saxonico? Clara sunt omnia ex verbis ORD. RECOGN. PROC. SAX. <sup>1)</sup> quidquid placeat CARPZOVIO <sup>m)</sup> qui ex veteri processu Saxonico scribit. Ita enim legitur in *Recognita*: Ein Ehe-Mann mag vor sein Weib weiter nicht, als wenn Actus, welche keine Special-Vollmacht erfordern, vorgehen, erscheinen, oder einen Actorem bestellen, und soll der Ehe-Mann auf solchen Fall, Cautionem rati zu bestellen, nicht verbunden seyn, auch hierbey inter bona dotalia, paraphernalia und recepticia kein Unterscheid gemacht werden. Quae sane omnia videntur causam habere in legitima illa mariti in coniugem tutela *iure Germanico* comprobata, *romano* vero prohibita.

## §. VIII.

*Libertorum pro Patronis mandatum praesumptum.*

Ordine peruenimus ad *libertos*, quos ultimo loco ob conjunctionem, sed civilem, vi mandati praesumpti comparare posse cognouimus. Notum est quam sancte ius patronatus et clientelae, diuinum illud, et sine vlla dubitatione sapientissimum conseruandi reipublicae floris atque splendoris Romuli institutum apud Romanos seruatum fuerit; nec quemquam fugit quam multae obligationes inter patronos et liberos intercesserint, et sanctissime patronos parentes ciuiles dictos fuisse. Haud itaque mirandum teste VLPIANO ex mandato praesumpto pro patronis suis agere, iure romano permissum fuisse. Cum vero veterem romanorum seruitutem Germania nostra, inque ea Saxonia ignorat, neque in eo themate nostri homines proprii, cum veteribus istis seruis comparari possunt, nulla huius praesumpti mandati in foro Germaniae erit applicatio.

## §. VIII.

1) ORD. RECOGN. PROC. SAX. Tit. VIII. §. 1.

m) CARPZOV. Proc. Tit. V. art. 6.



## §. VIII.

Mandatum praesumptum litis consortes habere censetur.

Hactenus de iis, in quibus ob personalem coniunctionem mandatum praesumitur; nunc de iis qui ob litis coniunctionem ad mandatum praesumptum prouocare possunt. Inter hos *litis consortes* itaque referendi sunt *cobaeredes* et *confideiussores*, ex quorum numero *VLPIANVS* <sup>n)</sup> vnum, altero non comparante, defensionem suscipere posse affirmat. Huc quoque pertinent contutores, focii, vniuersitas et omnes omnino litis consortes, inde Imperatores *VALENTINIANVS* et *VALENS* <sup>o)</sup> constituerunt, in *communione negotio*, post *litem legitime ordinatam*, etiam quibusdam absentibus, in *solidum agi*, sine mandato posse, si praesentes rem ratam dominum habiturum cauere parati sint, vel si quid ab his petitur, iudicatum solui satisfactione firmauerint. Expediti itaque iuris est, litis consortes ex mandato praesumpto admitti, num vero ante vel post litis contestationem admittantur, magna inter *Dd.* est discordia. Nonnulli eos indistincte siue ante, siue post *litem contestatam*, cum cautione tamen rati, etiam in causis diuiduis admittunt, nonnulli vero quorum antesignanus *ACCVRSIVS*, quique primus hanc opinionem in medium protulit, post *litem contestatam*, illos demum vi praesumpti mandati agere posse affirmant, suamque sententiam in ipsa *Imp. VALENTINIANI* et *VALENTIS* constitutione in verbis *post litem legitime ordinatam* fundatam esse putant. Nullus tamen dubito, quin priorum sententiae accedam. Neque nos mouet, quod in constitutione ista tantummodo post *litem legitime ordinatam* permissum sit. *CVIACIUS* <sup>p)</sup> enim, et alii iam docuerunt, verba ista non significare

B 2

n) *VLPIANVS L. 5. §. 1. ꝛ. Iudic. solui.*

o) *Imp. VALENTINIANVS et VALENS L. 2. Cod. de consort. eiusd. lit.*

p) *CVIACIUS in paratit. ad Tit. Cod. de consort. eiusd. lit.*

care post litem contestationem. Aliud enim est litem ordinare, aliud litem contestari. Ordinare est praeparare et constituere personam actoris, et rei, et iudicis, ac se praemunire. Patet hoc ex VLPIANO <sup>q)</sup>, patet ex IULIANO <sup>r)</sup> ubi ordinabatur idem est, quod VLPIANO <sup>s)</sup> de vna eademque re loquenti est praeparabatur, et FESTVS recte partes ordinatio iudicio litem contestari dicit. In foro vero, imprimis Saxonico litem consortem pro altero etiam ante litem contestationem vi praesumpti mandati comparere posse extra omnem dubitationem positum est, cum ORD. PROC. SAX. distinctionem non faciat, et omnes omnino litem consortes admitti iubeat. Huic quaestioni et alia iungenda est, quae inter Brunnemannum et Lauterbachium eorumque alicuius agitata est. Negat nimirum LAUTERBACH <sup>t)</sup> singulos ex vniuersitate defensorio nomine vniuersitatis recte comparere posse, etiamsi de rato cauere velint, cum ius vniuersitatis ad singulos non pertineat, licet quodammodo ad eos retundet, ex quo tamen tale litem consortium induci nequeat. Neque multum alienus est ab hac opinione SCHILTER <sup>u)</sup>. Contrariam vero defendit sententiam BRUNNEMANN <sup>x)</sup> affirmans, quoduis vniuersitatis membrum vi praesumpti mandati ex ea ratione agere posse, quod in iure romano litem consortibus annumerentur, qui quaecumque commune negotium habeant, quod, licet non proprietas rei vniuersitatis, saltem tamen vsus ad singulos pertineat, ob hunc tamen vsum, quem quisque ex rebus vniuersitatis percipiat, nemini ex vniuersitate ius, vi praesumpti mandati pro vniuersitate agendi denegari

q) VLPIANVS L. 8.  $\pi$ . de inoff. testam.

r) IULIANVS L. 20.  $\pi$ . de Prob. et Praesf.

s) VLPIANVS L. 7 §. 5.  $\pi$ . de liberali causa.

t) LAUTERBACH Disp. 5. Vol. 3.

u) SCHILTER ad  $\pi$ . Exerc. 10.

x) BRUNNEMANN ad Rub. Tit.  $\pi$ . quod cuiusque vniuersali nomine.

negari queat. Quem vero dissentum composuisse videtur STRYCK<sup>y)</sup> id respiciendum existimans, *an causa utilitatem singulorum; an vero integram vniuersitatem, qua talem concernat.* Priori enim casu *Brummemanni* opinionem amplectitur, posteriori in *Lauterbachii* partes abit, negans singulos ex vniuersitate vi praesumpti mandati, valide agere posse. Non tamen omnino improbanda est *Brummemanni* opinio, si ad id respicias, quod ex vniuersali iure, singuli focii vniuersitatis teneantur ad commune bonum vniuersitatis promouendum, quae propria cuiusvis obligatio. In causis quae speciale mandatum non desiderant, est hinc focium vniuersitatis non plane inidoneum fore arbitror, vt tanquam ex mandato admittatur.

## §. X.

*Qui instrumenta penes se habent etiam quasi procuratores censentur.*

Iam de iis agimus, quorum mandatum iure romano praesumitur, restat, vt vltimo loco addamus, quos ius patrium mandatum praesumptum habere constituit. ORDINATIO CAMERARIS<sup>z)</sup> enim et hos ex praesumpto mandato admittit, qui instrumenta ad causam pertinentia penes se habent, hoc tamen requirit, vt sint viri integrae fidei, neque probabile sit, eos talia instrumenta inuito domino possidere aut subripuisse. Cum tamen ORD. PROC. SAX. omnes qui ex mandato praesumpto admitti debent, nominat, qui vero documenta possident, in eorum numerum non refert, vnusquisque facile intelliget, neque hos in foro Saxonico valide agere posse. De reliquis qui ex Dd. opinione, at sine lege mandatum praesumptum habere dicuntur, vt puta, ex imperio, ex lapsu temporis, ex traditione sigilli, ex amicitia, et ex multis aliis causis, cum Ddum. sit leges interpretari, non dare, recte nihil addimus.

B 3

y) STRYCK *Vsu π. Modern. Lib. III. Tit. 4.*

z) ORD. CAM. P. I. Tit. 21. §. weiter setzen.

§. XI.

## §. XI.

*Nemo admittitur, nisi de rato caueat, et non sit actus, qui speciale  
mandatum requirit.*

Competit itaque praesumptum mandatum quibusdam, de quibus exposuimus, personis, quae tamen omnes absque cautione rati nihil valide agere possunt. Quamuis enim leges, consensus inter eum, cuius nomine agitur, et quasi procuratorem intercessisse fingere videntur, semper tamen incertum atque dubium est, an is, ad quem res pertinet, quasi procuratoris gesta rata habiturus sit. Ne ergo iudicia elusoria fiant, et pars aduersa exinde damnum capiat, legibus non immerito cautum est, ut, qui vi praesumpti mandati agere velit, caueat, fore, ut is, pro quo intercesserit, rem suam ratam habeat. Apparet hoc ex VLPIANO<sup>a)</sup> et sexcentis aliis, quos enumerare superuacaneum foret. Neque tamen improbable, iure ciuili quasi procuratores, per fideiussores de rato cauisse<sup>b)</sup>. Iure vero Saxonico secundum ORD. RECOGN. PROC. SAX. si bona possideat immobilia, nuda stipulatione sub hypotheca bonorum, alias depositione pecuniae, cuius quantitas a iudice determinanda, praestari cautionem eam posse. Quae tamen cautio statim ante litem contestatam, nisi post litem contestationem demum procurator interuenit, exigitur. Neque demum praesumptus procurator admittitur, si tale negotium adest, quo speciali mandato opus est, quos vero casus enumerare instituti nostri ratio et breuitas non permittit, cum ne quidem is, qui vero et expresso mandato, generali tamen instructus est, in iis negotiis, qui speciale quoddam mandatum requirunt, admittitur, et absolum esset, mandato praesumpto maiorem, quam vero et expresso tribuere effectum. Nec alias cogitationes alit forum, nec leges Saxoniae, quod ex capitibus supra allegatis accurate patet.

## §. XII.

a) VLPIANVS L. 37. L. 30. *de Procur.*

b) L. 40. *de Proc.* *instita* L. 1. *qui satisfacere cog.*

*Absolutio thematis.*

Nil dicam de litis dominio, quod leges romanae habent in procuratoribus, quodque exposuit erudite BOEHMERVS (\*). Vix enim hoc utamur in praesumto mandato, ob id quod lex admittit, ut fictione non opus sit. Neque opus est, ut de finiendi modis quidquam dicamus, cum actu illo peracto, ad quem ex praesumto mandato admittebatur, finis adsit praesumptionis quam vocant. Sique nec rati habeat litis dominus verus, frustra de mandatario praesumto admittendo agatur, qui nec admitti potest, si is pro quo acturus est, prohibeat, quo minus admittatur amplius. Sed satis dictum sit, bene! si, quae dicta sunt a tirone, non omnino improbentur.

TANTVM.


(\*) BOEHMER *diff. de dominio litis.*




PRAENOBILISSIMO ET DOCTISSIMO  
CHRISTOPHORO ANTONIO  
HOFFMANN

s. D.

P R A E S E S.

 *A*b eo tempore, quo inter meos ingenium exerceres dis-  
sputando, tot mihi edidisti eruditionis atque scien-  
tiarum egregia documenta, ut iam tum spem ale-  
rem, fore ut aliquando cum laude publice eadem sis exhibi-  
turus. Euenit quod speraueram. Obtulisti mihi specimen  
abs TE satis erudite elaboratum, inque eo et corrigendo et  
defendendo meum postulasti auxilium. Nec deesse potui  
TVO desiderio, qui potius summa cum voluptate testis  
sum, quoties iuuenes in acquirenda laude occupati sunt.  
Vnum iam praestiti, scil. relegi doctum laborem, cumque  
ita eum deprehenderem, ut ingenio TVO atque scientiae con-  
ueniret, neque admodum improbanda contineret quamuis non  
omnia mea faciam abs TE scripta, et potius primitias laboris  
TVI tibi tribuendas censui, quod non fieret, si meas opiniones  
adiicere TVASque delere voluissem. Iam superest alterum  
officium in quo exequendo me non minus paratum deprehendes.  
TV vero DOCTISSIME RESPONDENS adscende sacra-  
rium Thevndis TE que in eo praesta virum, de quo quidem  
non dubito. Sicuti vero TE cum summa laude ornatum e  
cathedra reuertentem amplectar; ita ex animo opto, ut dili-  
gentiae scientiaeque elegantioris uberrimos fructus ex Diui-  
nae providentiae benignissimo decreto capias. Quod si conti-  
gerit, neminem habebis inter amicos, cui TVA salus carior  
sit, memet ipso. Caeterum et meam recole memoriam et Vale.  
Dab. Lipsiae die VI. April. c 15 c 1cc LXIV.



Leipzig, Diss., 1764



f

TA 30L

nur 31. Stück bisher verknüpft

VD 18





1764, 12.  
No. #28

DISSERTATIO IVRIS CIVILIS  
DE  
**MANDATO PRAESVMTO**  
QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
PRAESIDE  
**D. CHRISTIANO HENRICO  
BREVNING**

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITER. DVISEVRG. SOCIO  
IN AVDITORIO PETRINO  
DIE X. APRILIS ANNO CIDIJCCCLXIIII.

DEFENDET  
AVCTOR ET RESPONDENS  
**CHRISTOPHORVS ANTON HOFFMANN**  
L I P S.

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIA

